





Wiede  
1804.



pag. 653, XXXIII.

Num. XXXIII





177

III/12 C.

25

Q V A E D A M

AD

EVRIPIDIS HIPPOLYTVM  
N O T A E

---

QVIBVS

AD ORATIONES VIII

IN SCHOLA TORGAVIENSI

HORA III POMERIDIANA

D. XV ET XVIII APRILIS C I O I O C C L X X X X I I I

BENIVOLE AVDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT

TRAVGOTT FREDERICVS BENEDICT

AA. LL. MAGISTER ET SCHOLAE TORGAV. RECTOR.

---

TORGAVIAE,

EX OFFICINA KVRZIANA.

Q A L F A N

AD

E A R I P I D I S H I P P O L Y T A M  
N O T A E

G A L F A

A D O R A T I O N E S A U

I X S C H O L A F O R G E T I N S I

H O R A I N H O R I D I A N A

a. X V t a X X I I I a m a r t i s C I C I I I C C C C X X X X I I I I

L E N I A D O N E A M D I T I V A S

P A T R O N S E T T V A T O R E S

T I M A T I V

T R A V A D O T T F R E D B R I C A S R E N D I C T

a. II. M A C I S T E R E T S C H O L A F T O R G A V A B E C O L

T O R G A V A E

E X O P T I C I N A R A C S I A N A

v. 141 — 170. Σὺ γάρ εἴθεσ, ὃ κόνεξ etc.

**B**runckius metri causa edidit: Αἴδε γ' ἔνθεος, sed libris iniuitis haec emendatio non est admittenda. Quare alteram emendationem, quam simul ad hunc locum protulit, longe praefero, ut legatur: Σὺ γάρ εἴθεος. Ita enim antispastus, quem postulat vir summus, suo loco adest. — In his versibus autem illius morbi, in quem Phaedra inciderit, quinque probabiles causae afferuntur, quarum nulla tamen vera dici potest. Coniiciunt enim illae feminae, 1) Phaedram forte a numine quodam afflatam et lymphatico furore correptam esse: 2) siue morbo repentina esse deiectam, quem praeuidere non licuerit; quales morbos a Diana mulieribus immitti, iam ex Homeri carminibus satis constat. 3) Siue quandam Thesei pellicem, 4) siue nuntium tristem ex eius patria allatum, 5) siue aegritudinem denique muliebrem, qualis saepè parturiendi tempus antecedere solet, ei curam atque dolores afferre. Apparet autem, poetam in excogitandis de illo Phaedrae morbo coniecturis a causa mira et minus virisimili ad causam magis probabilem pedetentim transire; quo quidem artificio egregie sustentata est auditorum attentio. — De Pane subitam animi consternationem imimitte nota res est, atque eius Dei etiam aliis locis in Euripide, Med. 1172. Rhes. 36, mentio iniicitur. De Hecate similes

les animi motus atque terrores concitante quaedam adnotauit Scholiaest Euripidis ad laudatum Medeae locum: ἐξαφνης πατεροτητος ὁντο τοπαλιον ἀνθεποι οὐπό Παιος μάλισται [ηγ] Ἐκάτης παταπεπληχθησαν τὸν νῦν. Possent etiam hoc conferri, quae de sacris Hecates terrore plenis Virgilius Aen. VI, 256, 257 ex graecis carminibus attulit, quibus sacris quae interessent graves simul animi impetus aduentante Dea sentire dicebantur. — De Corybantibus praeter alia veterum loca tantum Strabonis verba lib. X, pag. 473 laudare sufficiat: Ταῦ δὲ Κορυβάντων σεχησιῶν καὶ ἐνθετασμῶν ὄντων, καὶ τὰς μανιῶν πνεμένες Κορυβάντους φάμεν. Sicut autem Corybantes inuenta et res gestas Cybeles in sacris eius furore pleni imitabantur, ita Cybelam olim quoque furiosam per agros discurrisse testatur Diodorus Siculus Bibliothecae lib. III, pag. 192, ed. Rhodom. Cuius verba sunt: Φεστὶ τὴν Κυβέλην — ἐμμανῆ γενομένην εἰς τὴν χώραν ἐπιπλῆσαν· καὶ τέντην μὲν ἀλογίζεσσαν καὶ τιμπανίζεσσαν ἐπινέοντας χώραν, καταλευμένην τὰς τεχνάς. Quae quidem Diodori verba optime illustrant vocabulum: Φοιτάλεος, quo Euripides v. 144 de Cybele usus est, et simul rationem reddunt, quare Phaedra etiam huius Deae numine et imitatione ad infaniam incitari potuerit. Quod vero Euripides Cybelam ibidem βεσιανή ματέαν, montanam matrem dixit, de eo etiam Diodorus loco laudato in antecedentibus imprimitis conferri meretur.

In versu 147: ἀνίερος ἀδύτων πελάσων τεύχη, Heathius metri causa emendauit: ἀνίεροι, eique Musgravius et Brunckius etiam assenserunt. Idem vero eadem de causa, cum hunc versum emendassem, etiam in Antistrophes v. 157 scribere debuit: Λιμένια τούδε ἐγενότατο, cum antea legeretur: Λιμένα τὸν ἐγενότατον; quo loco etiam uterque interpres modo laudatus assensit. Valkenarius vero, quod magis miror, hanc emendationem posteriorem: Λιμένα τούδε adinifit, neglecta priori, quam Heathius v. 147 excogitabat. Concedam quidem, apte h. I. dici posse:

Λιμένας

Aquēvē τέοδ, quia portus Troezenes intelligitur. Si vero nolis simul emendationem Heathii v. 147 admittere, male versus ille strophicus antistrophico respondebit; quare emendatio Heathii siue utroque loco siue neutrō est recipienda. Hoc alterum equidem malim. Ut taceam, Heathii emendationem inuitis libris esse suscepit, qui utroque loco lectionem vulgatam tuentur; sensus certe prioris loci frigidus existeret Heathii emendatione. Quid enim hoc sibi vellet: αἰγαλαῖς ἀνθεῖς? non enim peccata et errores sancti possunt illis opponi. Cum denique in utroque versu totidem tempora numerentur, notandum quidem hoc versuum genus, sed verba non emendanda videntur. Ita fecit Heathius in notis ad Helenam v. 1318.

In versibus 148 — 150: Φοτά γαρ καὶ διεὶ λίμνας, Χέρσον οὐ περὶ πελάγους δίναιοι νοτίας ἄλμας —

primo quaeritur, utrum vocabulum: λίμνας numero singulari an plurali intelligamus. Posteriorus defendit Musgrauius ideoque non opus esse putat, ut in sequentibus cum Scaligero legitur: χέρσον. Quia vero vocabulū: λίμνη, si significat: mare, plerunque numero singulari usurpatum, meliorem puto Scaligeri, Valkenarii, Brunckii aliorumque sententiam, ut eriam h. l. singulari numero illud vocabulum adhibetur, et ita in sequentibus parua mutatione legendum sit: χέρσον. Porro indicari debet, quo referantur verba: οὐ περὶ πελάγους δίναιοι νοτίας ἄλμας. Musgrauius putat, in his quidem verbis specialiter loca designari, ubi Dea versari sit solita, cum antea in uniuersum terram et mare nominarer, eaque de causa pro lectione Codd: οὐ περὶ πελάγους emendat: οὐ περὶ ξελόχους et in sequentibus inserit copulam legendo: δίναιοι τὸ νοτίας ἄλμας. Cui tamen emendationi non solum obici potest Codicum aliter legentium auctoritas, sed non satis etiam apparer, quomodo haec duo: λίμνη et: δίναιοι νοτίας ἄλμας ita diuersa sint, ut illo posteriori specialiter loca

loca indicentur, ubi versari solita sit Diana. Ridicula enim esset interpretatio, qua maris vortices Dianaee commorationi in primis inferuire dixeris. — Praeter illam Musgrauii conjecturam memoratu digna est Valkenarii interpretatio, qui verbis: ὑπὲ πελάγες etc. modum tradi putat, quo maria transeat Diana. Cui quidem sententiae statim consentirem, nisi post: ἀηρια primo poneretur: χέστων θ. et tum demum sequerentur verba: ὑπὲ πελάγες etc. Malim igitur haec verba ad terrae descriptio- nem referre, quia proxime antecedit: χέστων, ut ira Euripides indicet *terram mari altiore et super maris undas elatam*. Neque h. l. superiacanea et inepta est illa terrae continentis de- scriptio, quia et Athenae et Troezēn, in qua utraque urbe ver- sata fuerat Phaedra, loca fuere maritima, in quibus terram sup- pra undas maris elatam esse in primis cognoscitur. Denique verborum: δίναιοι νότιοι ἄηρις lectionem non sanam esse, praet- ter Heathium etiam Valkenarius et Brunckius viderunt, quia vocabulo: δίναιοι in antistrophico v. 160 non apte respondet il- lud: ἐννέα. Illi igitur secuti sunt emendationem ab Heathio excoxitatam atque etiam in prima ed. inuentam: δίναιον. Sed fateor, me non iustum videre causam, quare h. l. lectionem antiquissimorum et optimorum Codd: δίναιοι ἐννότιοι ἄηρις, ne- gligamus, quae poetae nostri dictione non est indigna. Ita in Euripidis Iphigenia in Taur. v. 433 legitur: ἀνέραις ἐννότιοι; ubi etiam compositum, forte ornatus causa, pro simili: νότιοι, diuerso tamen sensu ponitur, si illum locum cum nostro contuleris. Marklandus et Heathius quidem ibi lectionem vulga- tam reicere et ille: ἀνέραιν νότιοι, hic vero: ἀνέραιν νότιοι emendare voluerunt, sed sine libris illa emendatio non est ne- cessaria. Quodsi igitur nostro loco lectionem antiquorum Co- dicum sequimur, illa verba: πελάγες δίναιοι ἐννότιοι ἄηρις haud dubie nihil aliud indicant, quam quod infra v. 760 appellatur: νότιοι κύματα ἀνέκτυπον ἄηρις, h. e. mare.

In

In v. 151 η πόσιν, τὸν Ἐρεχθεῖδαν etc. Musgravius suadet, ut metri causa vocabulis transpositis legatur: πόσιν η. Quae emendatio tamen, quia illud: η alieno loco positum esset, admitti non debet. Neque etiam illa metri causa opus est, quia, ut Heathius docuit, antispastici impuri interdum in prima sede pro antispasto ditrochaeum admittunt. — Egregia autem erat Canteri emendatio in v. 153 prolata, ut vel inquis libris legatur: ποικιλεῖ τις ἐν ὀίκοις, pro illo: πηγαίνει. Non solum enim Scholiastrarum ad h. l. interpretatio: ἀπατᾷ, sed etiam cognatae significationis verbum: βεβολεῖν saepe pro: fallere usurpatum, et loca a Valkenario de eodem verbo: ποικιλεῖν prolata euincunt, ut h. l. Euripides haud dubie scripsit: ποικιλεῖ. Neque aptius certe verbum excogitari potuisse de pellice virum blandis adulteribus fouente et seducente. Forte autem falsa Codicum lectio: πηγαίνει ex illa interpretatione, olim, ut Scholiaстae testantur, a plurimis admissa, originem traxit, ut vocabulum: τις masculino genere intelligatur de adultero, cuius amore Phaedra sit capta, quique properea vere damnum Theseo afferre dicatur. Neque tamen probabilis est illa interpretatio, sed potius ad vocabulum: τις suppleri debet: γυν. Alias enim non appareret, quare tristis et dolorum plena fuerit Phaedra, cum adulterium in aedibus coniugis, sicut optauerat, commisisset. Praeterea pellices virorum illa aetate frequentiores erant, quam ipsarum coniugum adulteria, et quia semper ingratum erit mulieri, de sola mariti a se amati possessione deturbari, conjecturam magis probabilem Chorus afferre videbatur, si Theseum pellicis amore captum esse, quam Phaedram adulterium commisisse opinaretur. Causae autem reliquae, quas Chorus in nostro loco de Phaedra tristitia affert, omnes sunt falsae, ut deinde magis improvisa ipsius reginae de morbo suo accedat confessio. Ergo haec etiam in v. 151 sqv. minus vere excogitata esse videtur, ideoque etiam cum alio errore, quem Scholiaстae

h. l.

h. I. bene animaduertunt, est coniuncta, ut putet Chorus, Theseum, qui peregre abierat, domi versari; (*ἐν ὀίσεις*) quem errorem demum in v. 283 illa nutrix ipsis ademit. — Cur autem Musgrauius in uersu sequenti: *κρυπτῷ γε κότᾳ τὸν σῶν λεχέων*, verba: *τὸν σῶν λεχέων* ab illo: *κρυπτῷ* regi dixerit, non satis intelligo. Nam certe usui linguae talis verborum coniunctio repugnaret, cum potius verba: *τὸν σῶν λεχέων* ex nomine substantiuo: *κότᾳ* pendeant et sensum horum verborum Scholiafles ita optime expresserit: *ἐπὶ τὸν σῶν λεχέων κρυπτῇ χρωμένη κότη.*

v. 161 lgv. Φιλέτι δὲ τὰ δυστρέψω γνωστὸν  
ἀγνοίας καὶ δύσαρος  
αμφισσάσια συνοικεῖ.  
αἴδην τε καὶ ἀφροσύνας  
δι ἐμάς ἡξε ποτὲ  
ηθός αὐτὸς αὐτὸς —

Difficilis est in his verbis vocabuli: *ἀγνοία* explicatio, neque potui, quamuis mihi nondum satis appareat, meliorem inuenire, quam quae a Valkenario, graeco Scholiaсте, aliisque est allata, ut significet, *ingenium naturale*, cui quidem omnes hominis actiones et mores contineunt. Emendauit autem Valkenarius: *δυστρέπω γνωστὸν*, sine librorum auctoritate. Neque etiam propterea hac emendatione opus esse videtur, quia idem certe sensus existit, siue emendes: *ἀγνοία δυστρέπω γνωστὸν*, siue cum libris antiquis dicas: *ἀγνοία δύστρεπτος γνωστὸν*, *dificile et morosum seminarum ingenium*. Porro ex uno codice idem interpres dedit: *κανά*. Sed ne sic quidem verba elegantiū, quam in lectione vulgata, coniungentur, et facile apparet, quomodo punctum illud literae: *α* propter vocabulum antecedens: *ἀγνοία* a librario quodam male sit additum. — Quaeritur porro, utrum in versu sequenti post: *συνοικεῖ* punctum sit collocandum, sicut in Heruagiana aliisque edd. antiquis reperiatur, et verba: *αἴδην τε καὶ ἀφροσύνας* cum sequentibus: *ἄδε* *ἀγνα* con-

9

coniungi debeant, an distinctione maiori demum post verba:  
ἀδίνων τε καὶ ἀφεσίνας utendum sit, sicut in Barnesii, Valkenarii, Brunckii edd. est facrum. Vocabulum: ἀνέρ, quod significazione propria cum vocabulis: πνοή et: πνεῦμα fere consiprat, eodem modo, quo illa, etiam tropice de efficacia et vi singulari, quam res siue mala siue bona exserit, ponit videtur.

Utr. In Supplic. v. 1028 sqv. Evidet ita secum loquitur:

αὐτοὶ οὐδέποτε οὐδὲ τοιούτοις  
Οὐ σὸς δ' ἐναῖτης γαμέτας,  
Idi. vpl. et. τοιούτοις αὐτοῖς  
συντηχθεῖς αὐτοῖς οὐδέποτε  
αλλι μετὰ τοιούτοις αὐτοῖς φυχῆς.

In quibus verbis Brodaeus vocabulum: ἀνέρ non male interpretatur; ἔρωτι, et Marklandus docuit verba: ἀνέρις αἰδέσθιος cum sequentibus: γαμάτις φυχῆς esse iungenda. Simili modo in Iphigen. in Aulide v. 69: πνοή Ἀφεσίνης φίλαι afferuntur. Porro in Phoenis v. 457 occurrit: Θυμός πνοή et in Iphigen. in Taur. v. 1317 Thoas de Iphigenia, cum aufugisset, interrogat: τί πνεῦμα συμφορᾶς πεπτημένη; quibus malis, quae eam infigarent, premebatur? Neque dubito cum hoc loco, quamvis ibi alias linguae usus in auxillium vocari debeat, illum in Lucae Evangelio cap. XIII, ut comparare: γυνὴ ἢ πνεῦμα ἔχεστα αἴθεντα; cui quidem multo plura ex iis libris possent adiungi. Cum vero in locis, ex Euripide laudatis, appareat, aliud saepe nomen his verbis: ἀνέρ, πνοή, πνεῦμα adhaerere, melior etiam illorum sententia in nostro loco esse videtur, qui verba: ἀδε ἀνέρ cum illis: ὠδίνων τε καὶ ἀφεσίνας coniungunt. Qua ratione etiam accurius et specialiter, ut dicunt, intelligitur, quid anteas Euripides illo generis vocabulo: ἀμπαντία, cuius sensus late patet, indicauerit. —

In v. 167 sqv. τὸν δὲ ἐνλοχον, ὀμφαλον,

τόξων μεδέσταν

Ἀρτεμίν ἀντευν

B

Brun-

Brunckius vocabulum: "Αρτεμιν ex Valkenarii coniectura ut spurium eiecit, tribus versibus ita in duos contractis. Sed audacter haec suscepereunt doctissimi interpretes. Nam argumentum, quo nituntur, non sufficit, quia in Codice Regio Paris. non autem in pluribus libris, verba ultima leguntur transposita: αὐτεῦν Αρτεμιν. Imo desideraretur illud nomen: Αρτεμιν, si vere in libris deesset, quia ita in hoc loco affectus pleno plures eius Deae virtutes uno tenore, sine addito ipsius vero nomine, laudarentur. Eodem modo supra v. 62 sqv. ubi etiam plurimae illius Deae virtutes extolluntur, sub finem illarum descriptionum bis repetitum est nomen: Αρτεμις.

Denique in v. 170: Ἀτέ σὺν δεστὶ φοῖται, Brunckius etiam sine librorum auctoritate edidit: Θεοῖς ἐφόῖται, ut congruerent tempora, quia praecesserit: Ηὔε, αὐτεῦν. Sed ut taceam, loca non pauca, quae vir summus non ignorabat, occurrere in Euripide, ubi tempora diuersa iunguntur, sicut iam supra Valkenarius ad v. 34 adnotauerat, in nostro loco praeterea tempus praesens hac etiam de causa minus reiiciendum videtur, quia vocabulo: φοῖται particula: αἰσι adiuncta legitur. Lectio autem Codicis régii: Θεοῖσι φοῖται non solum a Valkenario est recepta, sed antea iam in edd. antiquis Heruagii, Stiblini etc. legebatur, quare praferenda est illi, quam Barnesius affert: Θεοῖσι φοῖται.

Ad v. 177: ὁ κακὸς θυντῶν, συγγαλ τε νόσοι egregia est Scholiae nota, hunc esse sermonem mulieris de Phaedrae morbo desperantis, quia in genere omnem vitae misericordiam reprehendat. Nam sollempne esse his misericordis, ad tristitiam animi exserendam locis uti communibus.

In v. 179: τόδε σοι φέργγος λαμπτέον, ὅδ' αὐθῆρ — Valkenarius cum Cod. Flor. legi manuult: τι δέ σοι φέργγος — Cui tamen

tamen lectioni reliqua non apte respondent, quia nutrix in sqq. dicit: ἔξω δόμων ἡδη δέμναι, quae verba cognata significacione cum illis: τὸδε σοι Φέγγος cohaerent. — Praeterea etiam Scholiares lectionem receptam defendit his verbis: δευτιῶς καὶ ἀναφοριῶς λέγει. Sed in reliquis verbis Valkenarii et Brunckii emendationem: λαμπρές ὅδη αὐθίξει, quam etiam Cod. regius affert, illo praeterea fragmento stabiliri puto, quod Stobaeus Tit. CXVIII affert, et quod inter fragmenta ex priore Hippolyti editione numero XIV laudatur:

Ω λαμπρές αὐθίξει, ἡμέρας θ' αἰγνὸν φάσι,  
ώς σ' ἡδη λευτσει τοῖς γε πράττεστιν καλῶς  
καὶ τοῖς δυστυχεῖσιν, ὃν πεφύκειν.

Apte enim haec verba ex ore aegrotantis Phaedrae, cum foras portata esset, proferri videntur. Quia vero poeta totum versuum genus forte in hoc loco, cum alteram curaret editionem, mutauerat, a nutrice tantum illius desiderii mentio iniicitur, quo Phaedra aegrotans tum capiebatur.

v. 190: πᾶς δὲ οὖν θηρέας βίος αὐθίξων etc.

Ab his verbis proprie incipit locus communis, saepe repetitus in Tragicorum scriptis, non autem a verbis v. 187: ηγείσ-στον δὲ νοσεῖν ή θεραπεύειν. Hanc enim sententiam, aegroti conditionem illa aegrotum curantis meliorem esse, nutrix sollicita tantum sui habita ratione profert, quippe cuius animum non tanti dolores essent impleturi, si ipsa aegrotarer, quam nunc, cum reginam carissimam morbo laborantem grauissimo curare debeat. Quare eadem quoque in sequentibus morbum minus vere: τὸ απλῆν appellat, quia ille quasi in decumbendo tantum sit positus.

pp. V. 192: "Αλλό τι τε ζῆν φίλτερον, ἀλλοι παρηλογοῦσι πάντας  
σκότος ἀμπέλου κεύπτει νεφέλαις.

Ita priorem versum cum Berglero in notis ad Aristophanis Ranas v. 114 legendum puto. Vulgata, quam Barnesius afferit: "Αλλ' δ', τι τε ζῆν φίλτερον ἀλλοι, certe in hac oratione affectus plena minus quadriga, et si vel retinenda esset, comma post: ἀλλοι tolli deberet, quia cum antecedentibus sequentia arcta cohaerent; id, quod etiam in Valkenarii editione est factum. Brunkius recepit emendationem, quam Valkenarius suaferat, ut in prima quidem versus parte Bergleri conjectura: "Αλλό τι recipiatur, sed in ultimo verso pro: ἀλλοι legatur: ἀλλ' δ'. Causam illius emendationis Valkenarius hanc afferit, quia, cum: ἀλλό τι antecesserit, non apte sequatur solum: ἀλλοι. Quod equidem concesserim, si utrumque: ἀλλοι ad verbum: πεντει referatur, sicut Berglerus vertebat: *Aliud quiddam, aliud dulcius bac vita tenebrae inuolentes occultant nebulis.* Sed quae opposuit Valkenarius, non amplius locum habere videntur, si ad prius illud: ἀλλό τι τε ζῆν φίλτερον, supplerunt: εἰς et alterum: ἀλλοι cum verbos κεύπτει coniungitur. Tunc etiam elegantissima anaphora in repetitis vocabulis: ἀλλοι — ἀλλοι locum habebit, quam edd. Aldina et Heruagiana iam expresserunt; in quarum posteriore tamen in fine versus comma non post: φίλτερον, sed post: ἀλλοι male collocatum inueni.

V. 210: *καθαρῶν ὑδάτων πόμι διεσπάμεν* — iorgas alli missit Brunkius cum Marklando sine librorum auxilio correxit: πόμι, ut metrum constet. Sed: αἴνω, sicut verbum cognatae significationis: εἶνω, penultimam habet, anicipitem; id, quod iam Heathius et Musgrauius docuerunt. Quare sine libris vel leuis illa correctio non admittenda videtur.

v. 217 — *ἷνα θηροφόνοι*  
στέβεσι κυνες

Barnesius

βαλίαις ἐλάφοις ἐγχειριπτόμεναι. Η τοι γένος την αι  
πρός θεῶν, ἔραμου, κυνὸς θωνέας ετε.

Huius loci emendationen duo interpres Marklandus et Valkenarius suaserunt, non propter varias Codicum lectiones, (qui tantum literam: μ vocabulo: ἐγχειριπτόμεναι inserunt, quae etiam in edd. plurimis Plutarchi iam inserta legebatur,) sed in primis propter Plutarchi locum in libello: De discrimine Adulatoris et Amici. Cuius loci causa Marklandus voluit v. 219 post versum 220 collocare et legere: ἐγχειριπτόμεναι, Valkenarius versus modo laudatos quidem non transposuit, sed recepit ramen, sicut postea Brunckius, emendationem: ἐγχειριπτόμεναι. Si ingenue fateri licet, quid sentiam de illo Plutarchi loco, neque Valkenarii emendationem neque versuum ordinis mutacionem ex illo apte confirmare ausim. Verba Plutarchi haec sunt: Θησευτικοῦ δὲ καὶ πυνθατικῆ λέξεπονος, μονεμὸν τὰ τῆς Φάιδης ἀναβοῶν ἔπειται Πρέστες θεῶν, ἔραμος κυνὸς θωνέας βαλίαις ἐλάφοις ἐγχειριπτόμενος καὶ θέλεις ἀντῷ περῆγμα πρὸς τὸ θηρεῖον, ἀλλ' αὐτὸν ἐκταγμένει (malim: ἐνσταγμένει) καὶ περιβούλλεται τὸν πυνθάνεντα. In toto loco Plutarchus de turpi morum imitatione loquitur, qua se in aliorum gratiam adulator insinuare studet; quare eundem paullò ante cum simia comparauerat, a qua tantum ita differat, ut illa capiat imitatione sua, hic vero alias decipiat. Eodem modo iam Plutarchus adulatorem, qui in venandi cupidum inciderit, cum cane impudente comparare videretur, qui quidem comes sequatur venatorem, multum venandi ardorem iactando, sed minime curet feras, cum potius ipsum venari studeat venatorem. Plutarchus igitur, ut illam comparationem facete exornaret, Euripidis locum non eodem verborum ordine et sensu attulit neque etiam retinuit verbi: ἐγχειριπτόμεναι terminacionem, sed ad adulatorem accommodauit scribens: ἐγχειριπτόμενος. Cum autem proxime antecedant illa: ἔραμος κυνὸς θωνέας et tunc statim

statim excogitato a Plutarcho verborum ordine et forma haec sequantur: *βαλλεις ἐλάφοις ἐγχειμπτόμενος*, quae in ipso Euripide de canibus venaticis proprie dicta sunt: hic fere sensus ex Plutarchi sententia aptissimus simul lateret: *canes inclamare cupio et ipse canum instar celeres ceruos persequar.* Quidquid autem alii statuant de illa Plutarchi verborum interpretatione, hoc saltem concedent, adulatorem apte comparari potuisse cum cane impudico atque venatico, iis autem, quae dixerim, incertam reddi illorum sententiam, qui arbitrantur, Plutarchum verba: *βαλλεις ἐλάφοις ἐγχειμπτόμενος* de Phaedra non de canibus intellexisse et in Euripide legisse: *ἐγχειμπτόμενα*. Cum vero praeter illum Plutarchi locum non aliis argumentis haec emendatio nitatur, non recedendum putem a Codicum lectione: *ἐγχειμπτόμενοι* quae cum antecedenti: *κύνες* est coniungenda. Tunc quoque in illo furentis sermone aptum est utriusque periodi initium. Nam prior cum verbis: *πέμπετε μ' εἰς ἔρος* — posterior cum his; *πέδης θεῶν, ἔξεμοι* — incipit.

V. 225: τί κυνηγεσίων καὶ σοι μελέτης;

Ita plurimi Codd. atque etiam Scholiaстae legunt. Sed Valkenarius suadet: *μελέτη*, quod etiam in Cod. Regio supereft atque a Brunckio est receptum. Si vero illorum interpretatione verba ita iungi debent: τί κυνηγεσίων μελέτη καὶ σοι, (sc. κοινὸν πεζῆμα εἰσι;) non apte in ipsis poetae verbis vocabula: καὶ σοι, illis: κυνηγεσίων μελέτη sunt interposita. Melior igitur videtur esse plurimorum Codd. lectio: *μελέτης*, quam etiam linguae usus confirmat; sicut variis exemplis docuit Musgrauius. Tunc quoque maior vis ineft particulae: καὶ, quam ei h. l. quoque Beckius V. Cel. tribuit, cuius opera doctissima Euripidis lectionem eximie adiutam esse, cum aliis non ingratus agnosco.

v. 233.

v. 233. Τί τοδὲ ἀν παιάφεον ἔργοντας ἐπος;  
 νῦν δὴ μὲν ὅρος βᾶσις ἐπὶ θῆρας  
 πόθον ἐστέλλεται· νῦν δὲ αὐτὸν φαιμάθοις  
 ἐπὶ ἀνυπάντοις πάλων ἔργαστη.

Ita haec verba sunt edita in Heruagiana. Sed in primo versu Valkenarius legi iuber: παιάφεον γ' et Brunckius eadem de causa edidit: παιάφεον, ut hoc verbum de ipsa Phaedra intelligatur. Valkenarius tamen vere animaduertit, molliorem fore orationem, si illud: παιάφεον ad: ἐπος referatur. Forte etiam illud particulae: γε additamentum h. l. non est necessarium et ille amphibrachys: παιάφεον, qui eorundem est temporum, pro anapaesto poni potuit. Ita infra in v. 465: Φοίνιχος πατέντας amphibrachys pro anapaesto occurrit; quem locum etiam interpretes varie tentarunt. Pro verbis: ἐπὶ θῆρας, Barnesius legit: ἐπὶ θῆρας, sicut iam unus Scholiastrarum explicavit. Eundem fecuti sunt Valkenarius et Brunckius. Illi igitur interpres ita iungunt verba graeca: ἐσέλλεται ἐπὶ πόθον θῆρας, ad venationis desiderium ferebaris. Sed tunc verba antecedentia: ὅρος βᾶσις non bene quadrant. Quare eriam illud: βᾶσις Barnesius nimis coacte interpretatur: βάσιν δοκεται. Videtur igitur usui linguae Graecae non minus conuenire lectio: ἐπὶ θῆρας, quam etiam unus Scholiastrarum afferit, si illa: ὅρος βᾶσις more Graecorum pro infinitivo: ὅρος βασιν posita censes et cum sequentibus: ἐπὶ θῆρας, contra feras, coniungis. Sensus est: Modo desiderio implebaris (propr. ornabaris) montes descendendi et feras venandi. Verba: φαιμάθοις ἐπὶ ἀνυπάντοις unus Scholiastrarum non male explicat de arena in Stadio et Hippodromo spargi solita, quae sit μὴ θελατται. Quamquam certum est ex aliis huius Tragoediae locis, illi Hippodromo pratum litoribus Troezenii adiacens destinatum fuisse.

v. 228: ὅστις σε Θεῶν ἀνατείχει,  
καὶ παιζούπτει φρένας, ἢ παι.

Ad verbum: ἀνατείχει Scholiafest adnotauit: ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ταῖς σειραῖς παιζομενόντων ἵππων, καὶ τὰ ἐνθέσες δέρμα παιζεῖν λαλούμενον. Quam metaphoram esse veram, Valkenarius quoque ad h. l. testatur. Simili modo Latinorum: *delirare*, quod proprie a lira fine fulco h. e. a via recta recedere significat, sensum metaphoricum: *insanire* et mente captum esse admittit. De altero verbo: παιζούπτει etiam Scholiafest non male indicavit: ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν παιζομοπτομένων τὰ πτέρα ὄργενών, ἀπε τῆς τῶν πτερῶν τυμήσει τὴν ἰχνὺν ἀπεβάλλει καὶ παιτελῶς αἰδενῆ γνητού. Eundem significatum huic vero proprium tribuit Scholiafest Aristophanis ad: Equites v. 804.

v. 271: σοῦ δὲ ἀν πυθέσθαι καὶ οὐδένειν βελούμεθ' αὐ.

Valkenarius et Brunckius ex Reiskii conjectura sine librorum auctoritate legunt: σοῦ δὲ αὐ. Cuius tamen emendationis necessitas mihi non satis appareat; quamvis concedam, librarios saepe particulas: αὐ et: αὖ permutassem. Nam illa particulae significatio, quae voluntatem dicentis siue agentis indicat, h. l. optime quadrat. Praeterea eius particulae repetitio in eadem periodo saepe occurrit, atque etiam infra in v. 483: ἡ τ' ἄρε τῷ ἀφέ γ' ἀνδρες εἰξέργειν αὖ ex Brunckii emendatione, sicut Codd. suadent, recte repetitur. Ita etiam h. l. particula: αὖ retineri debet. Priori loco refertur ad infinitiuum: πυθέσθαι, posteriori ad optatiuum: βελούμεθ'. Nam utrique tempori solet adiungi.

v. 274: ἐσ ταυτὸν ἥκεις, πάντα γάρ στρατεύεται.

Haec verba: ἐσ ταυτὸν ἥκεις, Scholiafest explicat: eis ταυτὸν μοι ἀγνοεῖς ἥκεις, eadem, qua ego, ignoratio laboras, atque eodem quoque redit Valkenarii explicatio: in causa morbi quoque conuenit

uenit inter nos, ut tu aequae eam ignoreas, atque ego. Sed in illa nutricis responsione nunc potius legeretur: εἰς ταῦτα ἵνα, mibi non magis constat, quam tibi. Confessio enim ignorantiae a nutritris, non autem a Chori parte requirebatur. Magis igitur mihi placet Codd. quorundam lectio, quam quoque unus Scholiastum afferit: εἰς ταῦτα ἵνει. Neque tamen Valkenarii explicationem de his etiam verbis preferam: morbus et causa morbi hac parte conueniunt, ut aequae, ac morbum, causam etiam malorum ignorem. Quae quidem explicatio nimis artificiosa mihi esse videtur. Melius haec verba: εἰς ταῦτα ἵνει, ad Phaedram referes, de qua et in antecedentibus et in sequentibus verbis colloquuntur. Sensus est: Phaedra in eo etiam sibi constat et tacet. Praecesserat enim Chori interrogatio: nonne saltem causam malorum indicavit? Ad haec nutrix: hanc eodem modo occultauit, quo ipsum morbum. Quare etiam post verba: εἰς ταῦτα ἵνει, statim sequuntur illa: πάντα γὰρ στρατεῖς, quibus antecedentia accuratius explicitantur. Sicut enim: στρατεῖς aperte Phaedram respicit, ita etiam antecedens: ἵνει.

v. 276: πῶς δὲ ἐν, τετράτων γ' οὐσίοις ἀστέται μέρεα;

In Cod. Regio deest, particula: γε, quare eam quoque Brunckius omisit. Sed Valkenarius vulgatam recte defendit. Non solum enim haec particula: γε facile perire potuit, quia litera: ν, proxime praecesserat, sed etiam constat, particulam: γε cum participio coniunctam saepe eleganter pro particula: εἰπει, siquidem, ponit. Quae significatio h. l. est aptissima.

v. 277. πότερον γένιος ἀτομος, ή θανάτου περιεμένην; obom  
Varie tentarunt interpretes hunc locum. Victorius in Variis Lecti, coniecerat: ὑπ' ἀτομος, tristitiae causa. Quae quidem lectio  
cum

C

cum

cum merito placeret multis interpretibus et propter penitum  
breuem tamen adimiti non posset, Muretus vocabula transpo-  
suit: *ἄρης ὑπ'*, et alii cum Codice quodam legere maluerunt:  
*ὑπ' ἄρης*. Utroque emendatio propter illam Victorii coniectu-  
ram excogitata nimis audax esse videtur. Valkenarius illud:  
*ὑπ' ἄρης, de ira Dei*, quae se exseruerit, explicat. Musgrauius  
autem in genere: *de qua uis calamitate immissa*. Cum vero  
vocabulum: *ἄρη proprie mentis errorem* indicet, et saepe etiam  
*de amentia* siue *insania* apud Homerum aliasque scriptores  
Graecos occurrat, h. l. quoque tristem mentis statum in Phae-  
dra amente indicare potuit. Quae explicatio in primis v. 284.  
confirmatur, ubi eundem animi statum poeta appellat: *πλάνον Φεγεών*. Nam Brunckii emendatio, ut vocabulis transpositis ibi  
legamus: *Φεγεών πλάνον* unius tantum Florentini Cod. auctorita-  
te nititur. Cum vero illius amentiae in antecedentibus iam  
mentio iniiceretur, non apte h. l. Chorus interrogat: *utrum de-  
spit, an mori cupit?* Sed melius interrogaret Chorus: *urum  
propter amentiam mori cupit?* Ut vero talis sensus insit verbis  
Graecis, forte legi debet: *πτέρεον ὑπ' ἄρης σοι θαυμή πειρωμένη*;  
Saepe enim illud: *σοι* a Graecis cum *vi* quadam additur, ubi  
nostra loquendi ratione abundare videretur. Praeterea facile  
intelligitur, quomodo ex: *ἄρης σοι* librariorum incuria oriri po-  
tuerit: *ἄρης ή*; cum putarent, deesse illud *η* particulae: *πτέρεον*.  
Valkenarius quidem mutauit: *η* h. l. in: *η* quod pro: *ως* sit  
positum. Sed si vera esset haec Valkenarii emendatio, tunc  
non in nutricis responione sequi deberet: *θαυμή*, sed potius:  
*ὑπ' ἄρης*. Idem vocabulum: *θαυμή* in versu sequenti etiam  
Musgrauium et Brunckium offendit, quia cum tota loci senten-  
tia non satis cohaeret; quare eius loco coniecerunt: *ἄρη*, *hacce  
sunt incerta*. Si vero, quae iam dixi ad h. l., vera sunt, recte  
sequitur in nutricis responione: *θαυμή*, et sequentia etiam,  
quae rationem reddunt huius responsonis, apte connectuntur,  
modo

modo particulam: δέ, in verbis: οὐται δὲ εἰς αἰμόσαν βίᾳ, pro:  
γε positam dicas; cuius significationis passim exempla occur-  
runt.

v. 295: γυναικες τούτες συγκαθίσαντες νόσον.

Valkenarius et Brunckius ex conjectura ediderunt: συγκαθί-  
σαντες δὲ νόσον. Sed plurimi iisque meliores Codd. legunt: συγκα-  
θίσαντες νόσον. Non video instam causam, quare ab illa Codic-  
um lectione recedamus. Saepenumero enim Graeci pro Fu-  
turo Praefens tempus ponere solent. Futuri autem significatio-  
nem h. l. admitti debere, ex Scholiaстae nota patet.

v. 298: Ἐτεν τι στρατος; οὐκ ἐχεῖν στρατον, τέλον.

Brunckius pro: ἔτεν, quae vocula sit concedentis, ex inge-  
nio emendauit: ἔτα, ut admiratio indicetur et pro illo: ἐπὶ ἐχεῖν  
dedit: ἐπει τοι. Evidem statim admirerem viri summi con-  
jecturam, nisi librorum auctoritate carerer. Illud: ἔτεν eo sen-  
su locum habere potest, ut nutrix ita sententiam suam de ver-  
bis ante dictis aperiat atque se concedere dicat medicorum, qui  
arcessantur, auxilium. Deinde satis constat, imperfectum:  
ἐχεῖν siue: χεῖν, Atticos pro praesenti: χεῖν non raro ponere.  
Quod praepter alios docuit Valkenarius ad Euripidis Phoenis.

v. 966.

v. 303. ισον δὲ ἀπεσμεν τῶν πρώτων.

Ita quidem omnes Codd. legunt. Sed Barnesius et Brun-  
ckius, Scaligerum secuti, emendarunt: τῶν πρώτων. Quodsi autem  
haec admissa emendatione illud: τῶν πρώτων cum vocula: ισον con-  
iungimus, non satis appetet, quid sibi velit verbum; ἀπεσμεν,

C 2

casu

casu suo destitutum. Malim igitur lectionem Codicem: τῶν πρέπει  
retinere et ad verbum: ἀπεσμένον referre. Ad verba: τῶν πρέπει  
ex v. 284 suppleri deber: λόγων, οὗτος με νότον πιθεῖσαν τῆςδε καὶ  
πλέοντας Φρενῶν, et ad voculam: ιτον ex oratione contexta intelligendū  
est: οὗτος τότε. Tunc sensus horum verborū aptissimus  
existit: Tam parum nunc, quam antea, indicatum morbi inqui-  
rendi et cognoscendi propositum affectū sumus.

v. 310: νέθον, Φρενῶντα γνήσιον οἰδάντην κακῶς

Verba: Φρενῶντα γνήσιον? Ratellerus in interpretatione latina editioni Valken. adiecta vertit; at artium hanc rudem. Quibus in-  
buuntur editi instis toris. Cui quidem interpretationi ansam  
praebuerunt verba Scholiaстae: νέθον δὲ Φρενῶντα, καθὲ Φίλοσο-  
φίαν θύσαις, οὐπερ εἰνὶ ἐλευθέρον. Certum quidem est, verba: Φρε-  
νῶντα γνήσια antecedenti: νέθον opponi, quales antitheses in Eu-  
ripide frequentari solent; sed non tam angusto sensu de Philo-  
sophiae studio, cui Hippolytus se dederat, quam potius de om-  
nibus animi generosi sensibus sunt intelligenda, quales et naturale  
ipse ingenium et literae instillauerant. Simili comparatione  
ipse Hippolytus iam animam agens in fine Tragoediae uitatur.  
Cum enim Theseus maximam eius virtutem et pietatem admiri-  
raretur, respondet superbe, sicut in aliis huius Tragoediae lo-  
cis: τοῦνδε πειδῶν γνῶσθαι εὐχε τοχεῖν. Ceterum nostro loqu Nu-  
trix apte adiungit verba: Εἴθα μν κακῶς, probe eum nosti, quia  
ex aliis iam Phaedrae actionibus intellexerat, eam non odio  
habere Hippolytum.

v. 325: οὐ δῆθ' ἔκπτωτα γ', έν δέ τοι λελείφουμα. quo iudicio cō-  
incidit in libro O. O. από την απόστολον Ιωάννην μεταξύ της παραγγελίας εντο-  
μονον. De verbis ultimiis variae extiterunt interpretum explicaciones.  
Valkenarius haec: έν δέ τοι λελείφουμα. vertit; quo iudicio vincar  
h. e.

h. e. adquiescam tuo iudicio. Supplet igitur ad verba: *ἐν οὐτῷ*  
vocabulum: *νερῆς*, atque idoneis exemplis hanc dicendi ratio-  
nem confirmat. Sed explicatio illa, sequentibus verbis repug-  
nat, quibus Nutrix, se Phaedram nunquam esse relicturam, di-  
cit. Musgrauius verit: *tua culpa cadam proposito meo.* Sed de  
confilio Nutricis, quod postea cepit, nondum erat mentio in-  
iecta. Scaliger, Duportus, Barnesius, Marklandius, Reiskius  
emendare voluerunt sine libris: *ἔδε τοι λεπίσθουσι.* Sed similis  
verborum sensus vel sine hac emendatione existere videtur, si  
ea vertis: *apud te relinquer h. e. abs te nunquam recedam.* An-  
te dixerat Phaedra: *ἴα μ' ἀμφετέ,* quo verbo Phaedra consulto-  
usa erat, ut sensu ejus murato, quia morituram se declarabat,  
crimen amoris illiciti, quod ante verbis: *δέσται λανιός* indi-  
cauerat, magis occultaret. Ad haec igitur Nutrix aperte respon-  
der noster loco: *inuita te mori sinam et semper comitabor.*  
Exempla, quibus particula: *ἐν* pro: *πατέρι* ponitur, saepe fun-  
ebua. Praeterea etiam sequentia huic facient explicationi.  
Nam v. 327 dicit Nutrix: *τώρε γονιάριστην διπλαῖ πότε.* Si  
mili interpretatione Scholia est verbis: *εἰς αποκύπεται*, utebatur.

Dissentient interpres de vocabulo: ἀνή, quo referri debat. Valkenarins et Brunckius illud ad ipsa Nutricis verba adhuc referunt. Neque negari potest: unum Scholiastrum ita etiam explicasse. Sed huic interpretationi in primis obest, quod in Nutricis verbis illa: ἀνὴ μη τυχεῖν per euphemismum idem indicant, quod: οὐ διαβέβαιον, neque tamen illud vocabulum: ἀνή per particulam quandam cum antecedentibus Nutriciae verbis conneccetur. Musgratius non male coniecit: ὅπερι, occides (sc. me, iterum interrogando,) atque ita hoc verbum etiam Phaedrae orationi tribuit. Commodo tamen lectio vul-

gata: ὅλη et retineri et cum ipsis Phaedrae verbis coniungi poterit. Quod si fit, bene etiam colloquii sequentis sensum interpretari licet, in quo verba Phaedrae Nutrix male intelligit. Eodem modo etiam unus Scholiastrarum vocabulum: ὅλη ad Phaedrae orationem bene retulit. Haec autem respicit partim arcanum illum amorem erga Hippolytum, quem sine maxima Nutricis tristitia indicare non poterat, ideoque dicit: ὅλη, peribis, οὐ Nutrix. (h. e. misera eris, ut quoque lat. *perire* faepetur usurpatur,) si scilicet hanc rem tibi patefecero. Sicut enim dixerat Phaedra v. 328: κακὰ τοι, quod eundem fere sensum, quem: ὅλη inuoluit, ita nunc idem repetit, quia Nutrix eam rogando urgere pergebat. Partim vero Phaedrae oratio ultima Nutricis verba respicit, quibus mortem Phaedrae maximum malum fore indicierat. Ad haec Phaedra dicit: *hanc morrem* (τὸ πεῖραμα) *fibi certe gloriosum fore*; quia nempe noluerit amore detegendo et continuando castitatis famam amittere. Sed haec ultima Phaedrae verba *Nutrix male intelligebat de ipsa re arcana*, quam Phaedra tacuit, ut ita singulari poetae artificio stupor et admiratio Nutricis in sequentibus eo maior existeret, si iam a Phaedra rem audiret gloriae eius plane contrariam.

v. 331: κακῆπεται κακύπτεις χειρῶν, ιναρμένης ἐμοῦ;

Ita quidem libri antiqui legunt, sed Brunckius ex Valkenarii conjectura edidit: ιναρμένην ἐμοῦ. Quamquam igitur concedi debet, verbum: κακύπτειν saepe cum duplice accusativo coniungi, propterea tamen non sequitur, ut etiam h. l. contra libros ita emendemus.

v. 332: ἐν τῷ γάλαξ ἐθλῶν αὐτούς μηχανώμενος.

EIAM ita omnes libri antiqui. Unus tantum Codex supra lectionem vulgatam scriptum habet: μηχανῶν ἐθλῶν; quam lectio nem

nem quoque tunc Scholia starum interpretatur, à Musgratio et Brunckio receptam. Sed alii Scholastae tamen lectionem Codicu[m] vulgatam explicant; quam eriam Valkenarius adhuc tuerit. Illa, quam Brunckius recepit, non satis respondere videatur verbis antecedentibus Nutricis, in quibus non dubitabatur de nobilibus Phaedrae factis. Melius igitur retineretur vulgata Codicu[m] lectione, orationi contextae magis accommodata. Illud: γένει autem ad omissem particulam: εἰ refertur; qua negatione Phaedra indicare voluit, se non rem honestam occultare, seque a Nutrice esse male intellectam. Deinde sub illo: ἐθλῶν intellegi debet Phaedrae vita ante acta, virtutis et pudicitiae plena. Vid. v. 47. Sed vocabulo: αἰχλᾶ indicatur turpis Phaedrae amor erga Hippolytum. Ad haec vero Nutrix, ut Phaedrae animum adulatione demulcereret, dicebat: οὐδὲν λέγεσθαι τημωτέρα φανῆ; post quae verba interrogandi signum ponidebet. Senitus est: non turpis sed honore magis digna mihi videberis, quando haec dices, (sc. quia ita nouum amicitiae perhibes testimonium, vel arcana reuelando.) Quod cum Phaedra sperare non posset, se non turpem visum iri, ei iam dixit: *Abi, per Deos te rogo* (sc. ne cogeretur tamen rem arcana fateri.)

v. 348: τι τεθῇ, οὐδὲ λέγεσθαι, αὐθεώπεις εἴρη;

Musgrauius et Brunckius ex conjectura Reiskii, sine libro[rum] auctoritate, emendarunt: λέγετον εὐθεώπεις; Sed Valkenarius iam indicauit, hanc emendationem lectione vulgata non esse meliorem. Nam accusatiu[s]: αὐθεώπεις non est rei amatae sed subjecti; quasi Euripides scripsisset: εὐστά αὐθεώπεις.

v. 372: τις σε παναμέγιος ὅδε χρόνος μένει;

Brunckius ex Musgrauii conjectura edidit: τις σε παναμέγιος ὅδε πόνος μήνει; quia partim significatio rario[n] vocabulo: χρόνος esset

esset adiicienda, partim versus antistrophicus 682 talem emendationem requirere videatur. Sed iam Beckius V. Cel. docuit, vocabulo: *χείρος*, sicut latino: *tempus* etiam sensum magis auctum, ut indicetur tempus calamitosum siue ipsa calamitas, adhaerere posse. Quod autem diuersos versus utriusque et strophici et antistrophici pedes attinet, memoratu digni sunt quidem in genere antipastico sed suscepta tamen propterea emendatio videtur esse periculosa, si in primis plura in uno tantum versu verba mutentur. Quodsi autem illos versus paullo accuratius consideramus, in utroque versu certe totidem tempora occurunt.

v. 380: *καὶ μοι δοκεῖσθαι εἰ πατέρων φύσιν πράξασθαι κάπιον*. —

Musgrauius quidem verba: *εἰ πατέρων φύσιν* explicat: *non secundum naturalem animi constitutionem*. Sed malim cum Scholiaste vocabulum: *γνώμην* h. I. sensu deteriori explicare proprieas, quasi diceret: *non propter stupiditatem et inscitiam animi naturalem*. Quae explicatio sequentibus apte confirmatur, ubi multi bene sapere et multarum rerum cognitione ornari dicuntur, quamuis male soleant agere. Ita enim ad verba: *εἴτι γνῶμη τὸ γένος πολλαῖστην* auctoritate eiusdem Scholiaстae suppleri debet: *εἴπιατε δὲ εἰς τὸ πατέρων*. Ceterum ille locus communis non nimis subtiliter ad certas Philosophiac regulas exigi debet, quia omnium peccatorum causam in mentis errore atque inscitia quaerere debemus. Sed meminisse decet, haec locum mulierem populari et dicendi et cogitandi ratione usam.

v. 388: *αὐδόν τε διστοι δέ εἰσιν. οὐ μὲν εἰ πατήτις,*  
*ηδὲ ἄρχθεις οἰκουν εἰ δέ οὐ πατήτις ηδὲ συζῆς,*  
*εἰ δέ δύ ήπην τελεῖ ἔχοντε γραμματα.*

Simi-

Similia iam Homerus tradiderat Iliad. XXIV, 44, 45, et Odyss. XVII, 347 et inde, ut videtur, ab interpolatore quodam Hesiodi carmini: Opp. et Dies v. 317, 318 versus fere iidem sunt inserti. Sed in primis quaeritur, quo sensu iam verba Euripidis sint intelligenda. Valkenarius ultima ita interpretatur: *si temporis opportunitas esset perspicua*, (cui aut haec aut illa revercundia conueniret) *res duee non iisdem literis designarentur*, sed esset in vocibus etiam ipsis diuersitas, que rei differentiam declararet. Mihi tamen verba: *εἰ δὲ καρπὸς ἦν τοφῆς*, magis respicienda esse videntur. Falsi enim pudoris haec est natura, ut temporis opportunitatem, quando aliquid aut faciendum aut omitendum sit, ignoret, et ita, si vel iusta causa non adsit, tristitia de iniquo aliorum iudicio impediatur. Quod si igitur homines temporis opportunitatem semper apte intelligerent, falsus etiam pudor inter eos plane tolleretur, *nec duplex pudor sed unus tantum isque iustus uno nomine appellaretur*. Quod autem Valkenarius dixit de diverso utriusque pudoris nomine, illud semper locum habere posset, quamvis temporis opportunitatem non semper intelligeremus. Cuiuscunque enim rei discrimen inter homines animaduerterit, ei quoque nomen diversum imponere licet.

Plures quidem notas ex iis nunc non addam, quas ad Euripidis Hippolytum conscripsi, et quarum primam particulam eadem occasione, quae nunc se offerebat, biennio ante edendam curavi. Oppellae autem huius suscepiae iudicium penes viros rerum peritos atque a studio partium alienos esto. Nunc orationes iuveniles, hoc quidem tempore in Schola Torgauensi more recepto habendas, indicere mihi liceat.

D. XV Aprilis dicent:

- I) FREDERICVS AVGVSTVS MICHAELIS, Torgau. latine: *De reverentia religioni Christianae debita;*
- II) IOANNES GODOFREDVS BERNHARD, Trossino-Misnicus, germanice: *De viribus nostris ad patriam iuvandam impendendis.*
- III) CAROLVS FREDERICVS MVILLER, Nimecca-Saxo, carmine latino: *De veris aduentu.*
- IV) DANIEL TRAVGOTT MVILLER, Torgau. germanice: *De amico virtutis ac verae religionis consensu.*

d. XVIII Aprilis:

- I) IOANNES DANIEL LANGE, Torgau. latine: *De non nullis opinionum praeiudicatarum causis maxime confueris.*
- II) IOANNES CAROLVS GOTTLÖB IVNGE, Dablenfis, germanice: *De legum humanaarum imbecillitate.*
- III) FREDERICVS GVLIELMVS HEMPEL, Schmiedebergensis, carmine latino: *De voluptate ex laboribus peractis redundantie.*
- IV) CAROLVS LYDOVICVS GODOFREDVS MVILLER, Torgau, germanice: *De causis morum corruptorum externis, qui etiam Commititones suos in Academiam discessuros, sicut die priore ultimam orationem habiturus, valere iubebit.*

Si cui igitur laetitia quaedam ex suscep<sup>t</sup>to iuuentutis in  
spem patriae succrescentis labore redundat, eum ad orationes  
horum iuuenium beniuole audiendas omni, qua par est, ob-  
seruantia inuitamus, inprimis vero VIROS GENEROSISSI-  
MOS, ANTISTITEM SACRORVM SVMME VENERABILEM,  
SENATVM CIVITATIS AMPLISSIMVM, MINISTROS SA-  
CRORVM PLVRIMVM REVERENDOS et MAGISTROS  
SCHOLAE TORGAVIENSIS CLARISSIMOS. Neque dubi-  
to, fore, ut illa virorum dignitate conspicuorum praeſentia  
discentium animi quoque ad industriam in literarum ſtudiis po-  
firam et ad virtutem magis magisque exercendam inſtigentur.  
Scripsi Torgauiae, d. III Aprilis, A. cIɔiCCLXXXIIII.

Si omi riguit sacerdos duxerit ex tempore iuramento in  
tempore sollempni iuramento iurando iuramento eum ad olimpias  
joumaliis etiam in primis annis ubi etiam debet esse op-  
erariam etiam in primis annis Aetate Virginei C. M. X. et  
tempore sollempni iuramento iurando iuramento etiam  
modus Antiquitatis Secundum etiam Venerabilium  
Secundum Civitatis Amicitiam etiam Missis et  
Choriam. Propterea H. Etiamque Modo quippe  
Secundum etiam Temporalem etiam Quiescere  
etiam potest in illis annis quibus est confitentia obtemperare  
quicunq[ue] summa deponere ad iurandum iurando co-  
tum est ea virtutem utrumque proferre se secundum iuramento  
Scripti Gratianae q[ui] III Abitur A.D. 1300. C. XXXIIII.

AB 153118




5b

K078

R



B.I.G.



Q V A E D A M

AD

EVRIPIDIS HIPPOLYTVM  
N O T A E

QVIBVS

AD ORATIONES VIII

IN SCHOLA TORGAVIENSI

HORA III POMERIDIANA

D. XV ET XVIII APRILIS C I D I C C L X X X X I I I

BENIVOLE AVDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT

TRAVGOTT FREDERICVS BENEDICT

AA. LL. MAGISTER ET SCHOLAE TORGAV. RECTOR.

TORGAVIAE,

EX OFFICINA KVRZIANA.

